



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

223. De festuca & trabe in oculis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



dicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *Matth. 7. & 2.*

III. Dimittite, & dimittimini. Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem, dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis. *Luc. 6. & 37. & 38.*

### MEDITATIO CCXXIII.

*Didagma XXIX. De festuca & trabe in oculis: hoc est, de eo, qui alterius parva peccata videt, sua magna non videt.*

I. **D**icebat Iesus illis & similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nōne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. *Luc. 6. & 39. & 40.*

II. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? *Matth. 7. & 3.* trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? *Luc. 6. & 41.* Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, si ne, eijciam festucam de oculo tuo? ipse in oculo tuo trabem non videns? *Luc. 6. & 42.* Ecce trabs est in oculo tuo. *Matth. 7. & 4.*

III. Hy-



III. Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. *Matth. 7. v. 5.* tunc perspicias, ut educas festucam de oculo fratris tui. *Luc. 6. v. 42.*

## MEDITATIO CCXXIV.

*Didagma XXX. De fugiendis Pseudoprophetis.*

**L**A Ttendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? *Matth. 7. v. 15. & 16.* Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam. *Luc. 6. v. 44.*

II. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. *Matth. 7. v. 17.* Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum. *Luc. 6. v. 43.*

III. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. *Matth. 7. v. 18.* Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus